



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. XII. De contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

cationis, uti neque conductor, nisi tamen aliter pactum sit, v. g. ne res locata durante tempore locationis alienetur, *v. Less. l. 2. c. 24. & Laym. l. 3. t. 4. c. 22.*

DUBIUM XII.

De Contractu Emphyteusis, Feudi, & Libelli?

Resp. I. Emphyteusis est contractus similis locatinoi, in quo res immobilis, quæ cultura possit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non brevius saltem, quàm ad decennium; ita ut dominium ejus directum & possessio civilis maneat apud dominum, qui tendat in Emphyteusis; dominium autem utile transferatur in Emphyteutam, cum hoc onere, ut quotannis certum Canonem, ut vocant, seu pensionem domino solvat, quam si totam solvere negligat 26. annis continuis in Emphyteusi Ecclesiastica (cum scilicet res est Ecclesiæ, vel pii loci) vel in seculari 36. annis, incidit ipso jure in pœnam commissi, ut dominus eum expellere possit, etsi de solutione interpellatus non fuerit: licet enim *Bart. & alii quidam* apud *Dian. p. 7. t. 8. R. 36.* dicant, si per 30. vel 40. annos non solverit, eum præscribere immunitatem in futurum, id tamen *Wesemb. & alii. s. negant, v. l. c.* Porro quid juris sit in hoc contractu, pendet ex consuetudine locorum, quæ varia est, & ex ipsa conventionem contrahentium, quæ scripto instrumento concipi debet, ut valeat, *v. Laym. l. 3. t. 4. c. 23. Less. l. 2. c. 24. d. 8.*

Resp.

Resp. II. Feudum est contractus similis Emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione domini utilis, proprietate retenta, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem, & obsequium personale directo domino. Quod si item non faciat Vasallus (sic enim dicitur feudi acceptor) perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet, in recognitionem domini directi: sed tunc ex ea parte deficit à puro feudo, & declinat ad Emphyteusin. Porro quid juris sit circa feuda, pendet item à locorum consuetudine, quæ juris communis sunt, v. l. c.

Resp. III. Contractus libellaticus, sive datio ad libellum, dicitur cum Emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel Emphyteusin, accipit, simili contractu tradit tertio, (ad quod tamen, si in deceannium fiat, requiritur domini consensus) ita ut sit quasi subfeudum & subemphyteusis. Ita Less.

DUBIUM XIII.

Quid sit Sponsio, & Ludus?

Resp. Sponsio est contractus, in quo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit, v. g. certo tecum 10. imperialibus, hanc vel istam civitatem obsessam, captam, &c. Ut licite fiat, requiritur 1. ut fiat super re dubia, 2. ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, cum æquali incertitudine, 3. dubius eventus in utroque,

O 3

4. ut